



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 6. De dolore ad confeßionem venialium necessario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

possit. Nec etiam refert quod in ea omissione nouum peccatum non committat: quia satis est quod medium ad iustificationem necessarium adhibeat, cuiusmodi est integra poenitentia peccatorum, formalis, aut virtualis. Hac ergo ratione sacramentum illud validum, & informe esse videtur.

An Sacramentum validum & informe habeat effectum, recedente fictione.

13
Opinio he-
pauis

Statim vero occurrit inquirendum, an tale sacramentum habeat suum effectum recedente fictione. Quidam negant, vt Soto, Couar. & alij quia putant hoc esse proprium sacramentorum, quae iterari non possunt, & praecipue baptismi: at vero hoc sacramentum iterari potest: ergo, quantum fuerit validum, si non habuit effectum, non propterea illum habiturum est postea. Confirmant, quia hac ratione sacramentum Eucharistiae sicte susceptum, non habet effectum recedente fictione, etiam si inter omnia sacramenta, sicut perfectissimum est, ita & efficacissimum sit.

14
Opinio of-
firmans pro-
latur
D. Thom.
Dionand.
Palud.
Caus.
Caus.
Pet. Sor.
Ledes.

Contraria tamen sententia, consequenter loquendo, mihi videtur probabilior, & vera. Quam tenet D. Thomas in citato loco ex dist. 17. vbi etiam inclinatur Durandus q. 13. & sequitur Palud. q. 8. Caietanus Cano, Petrus Soto, Ledesma, & alij supra citati. Et probatur breuiter, quia nullum mortale peccatum post baptismum commissum remittitur nisi per sacramentum poenitentiae in re, vel in voto susceptum ergo peccata confessa confessione informi debent per se remitti per aliquod sacramentum poenitentiae & non per aliud quam per ipsummet, quod fuit informe (suppono enim neque in re ipsa iterum subiecti clauibus talia peccata, neque in voto) potest enim homo habere formale propositum nunquam iterum confitendi illa peccata, & nihilominus illorum remissionem consequi: ergo consequitur ipsam remissionem ratione ipsiusmet sacramenti, quod fuit informe. Et hoc argumentum dissoluit fundamentum contrariae sententiae. Nam licet baptismi, & confessionis sacramentum simpliciter in hoc differant, quod vnum est iterabile, & non aliud: conueniunt tamen in hoc, quod verumque est medium necessarium ad remittenda peccata sibi subiecta: conueniunt etiam in hoc, quod, sicut non est necessarium iterare baptismum sicte susceptum ad consequendam remissionem peccati per baptismum, ita non est necessarium iterare confessionem informem ad consequendam remissionem peccati sic confessi per sacramentum poenitentiae: & hoc satis est, vt oporteat hoc sacramentum habere suum effectum recedente fictione. Neque enim dici potest tale peccatum solum remitti per accidens per subsequens sacramentum poenitentiae: tum quia omnia peccata, per se loquendo, id est, si memoriae occurrant, & possint subiecti clauibus, debent per se remitti per hoc sacramentum: tum etiam: quia alias idem dici posset de effectu baptismi: tum denique: quia fieri potest, vt talis effectus obtineatur sine subsequente sacramento, neque in re, neque in voto, vt si contingat eum, qui sic confessus est, nullum peccatum mortale post talem confessionem commisisse, neque in ipsa confessione peccasse. Confirmatur vltimo haec sententia ex parte formae, & ex veritate illius, vt a nobis supra explicata est: sacerdos enim tunc vere absoluit, & per consequens etiam Deus, iuxta illud, *Quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in caelo: & quorum remisseris, &c.* ergo, si illa remissio non fit tunc quoad efficaciam ratione obiecti, fit saltem quoad sufficientiam, atque adeo ablati obiecti, ex vi illius absolutionis sicte efficaciter illa remissio.

15
Vt quid.

Vt superius vero declarandum superest, per quid tolli possit haec fictio, vt sacramentum incipiat ha-

bere suum effectum. In quo primo certum est, contritionem sufficere. Deinde etiam est certum, legitimam confessionem peccati obliuio satis esse: tunc enim remittitur simul omnia peccata, quaedam, ratione vnius sacramenti, quaedam, ratione alterius, sicut explicatum est supra in simili puncto de baptismo. Difficultas vero est, an sola attritio vel generalis, vel specialis de peccatis obliuio sine noua confessione sufficiat, ad quam distinctionem respondendum cenfeo. Aut enim post praedictam confessionem nouum peccatum mortale commissum est, & tunc cenfeo non posse remouere obiectum sine contritione, vel confessione talis peccati quia sacramentum prius susceptum non potest habere efficaciam circa peccatum postea commissum. At vero, si nouum peccatum mortale postea commissum non sit, cum neque in ipsa confessione informi committatur, vt nos supponimus, per solam attritionem poterit obex remoueri iuxta similem doctrinam superius datam de baptismo; quia tunc eadem dispositio, quae sufficeret cum sacramento praesenti, sufficit cum sacramento iam suscepto, quando non est nouum impedimentum, neque nouum peccatum. At vero, si posset dari confessio informis, in qua poenitens peccaret mortaliter suscipiendo sic sacramentum, necessaria esset contritio, vel noua confessio ad tollendum obiectum: quia illud peccatum est materia alterius confessionis, quia commissum est, & consummatum in ipsa susceptione indebita absolutionis, & vt sic non potuit esse materia eidem absolutioni subiecta, sicut dictum est quando nouum peccatum mortale post illam confessionem committitur; est enim in utroque casu eadem ratio.

possit tibi
talis fictio.

An sufficiat
attritio ad
tollendam
fictionem.

SECTIO VI.

Verum, quae dicta sunt de necessitate contritionis, locum habeant in confessione, quae fit de solis venialibus peccatis.

Praecipua difficultas est, an in confessione de solis venialibus necessaria sit aliqua attritio. Et ratio dubitandi est, quia ad remissionem venialis peccati non est necessaria formalis poenitentia, sed clausa institutione huius sacramenti: ergo neque in illo erit necessaria, quia non debuit per illius institutionem coartari: ergo neque ad substantiam huius sacramenti erit necessaria attritio, si enim ad effectum necessaria non est, quomodo erit ad ipsum sacramentum? Confirmatur, quia alias semper venialis culpa supponeretur remissa ad talem confessionem, quia talis confessio supponit hominem gratum, in quo sola attritio sufficit ad remissionem venialis peccati.

Ratio dubi-
tandi.

Nihilominus dicendum est, etiam in hac confessione necessaria esse attritionem formalem. Quia Concilium Tridentinum absolute & simpliciter loquitur de hoc sacramento, & de partibus eius ergo quotiescunque fit, requiritur essentiales partes, quarum vna est attritio, non virtualis tantum, sed formalis, vt aperte constat ex doctrina Concilij. Et quia alias fere idem dici posset de mortalibus, cum extra hoc sacramentum possint interdum per virtualem poenitentiam remitti, vt supra dictum est. Item, quia ad veram accusationem necessarius est dolor formalis est etiam necessaria actualis recogitatio peccatorum, qua posita, nulla esse potest moralis excusatio detestationis formalis. Denique etiam in ea confessione, quae est de solis venialibus peccatis, requiritur, in suo ordine & ad integritatem, satisfactio: ergo similiter requiritur dolor in gradu suo.

In confessio-
ne venialium
necessarium
esse forma-
lem attritio-
nem.

Quocirca, quantum propter remissionem venialis peccati vt sic, extra hoc sacramentum non fit necessaria formalis attritio: tamen in hoc sacramento neces-

Quare ad re-
missionem ve-
nialis

*venialis in hoc
sacramento
sit necessaria
attritio for-
malis.*

necessaria est: quia est necessaria ad constitutionem ipsius sacramenti. Sicut ad consequendam remissionem peccati venialis ex se non est necessaria ablutio, vel unctio: tamen ad consequendam illam remissionem per baptismum aut Extremam unctioem (idem que est proportionaliter in ceteris sacramentis) necessaria est talis materia. Idem ergo est cum proportione in hoc sacramento: est enim sacramentum hoc quasi determinatio quedam propriæ ac formalis penitentiae, & primitio est institutum propter mortalia peccata tollenda, ideoque ex parte materiae institutum est in formalibus actibus penitentiae, seu doloris, ac detestationis: & quia una, ac generalis debuit esse institutio, sine illis perfici nunquam potest.

*4
Satisfit
rationi du-
bit.*

Ex quo satis responsum est ad rationem dubitandi. Non enim per hoc sacramentum est absolute contractum medium huius remissionis ad formalem dolorem, sed solum quando per tale sacramentum obtinenda est. Quomodo autem nihilominus contingere possit remitti veniale peccatum quoad culpam per absolutionem, dictum est supra tractando generaliter de remissione venialium peccatorum, & statim addemus alium casum, in quo id potest contingere.

*5
In confes-
sione venia-
lium requi-
ritur propo-
situm vitan-
di illa.*

Atque hinc constat primo, idem dicendum esse de confessione, quæ fit de mortalibus peccatis rite confessis propter easdem rationes. Secundo sequitur, eadem proportione loquendum esse de proposito vitandi peccata. Nam etiam in hac confessione requiritur propter easdem rationes, quamquam hic regulariter sufficere videatur virtuale propositum in absoluta detestatione peccati inclusum: securius autem est illud adhibere, maxime quando de illo cogitatio occurrit: nam si quis, ad illud non advertat, & bona fide procedat detestando talia peccata, non est cur de valore talis sacramenti dubitet.

*An universalis penitentia de omnibus venialibus
confessio requiratur.*

*6
Pars affir-
mans.*

Maiorem sane dubitationem habet, an requiratur hæc penitentia universalis de omnibus peccatis venialibus, quæ in confessione dicuntur: nam de aliis certum est non esse necessariam, eo quod possit unum veniale peccatum sine alio remitti. Tamen de peccatis confessis videtur id esse necessarium: quia absolutio in omnia cadit, & in omnibus debet vera esse, ergo & habere effectum. Item: quia confessio singulorum est partialis materia: ergo debet esse vera accusatio: ergo requirit attritionem de omnibus. Unde, quamvis absolute non sit necessarium illa peccata confiteri, tamen, supposito quod in iudicium asseruntur, debent digne proferri per veram accusationem, & absolutione dignam, alioqui quantum est ex parte penitentis, forma efficietur falsa: quia sensus illius est, sacerdotem absolute ab omnibus peccatis confessis.

*7
Duplitter
potest fieri
confessio de
venialibus sine
dolore.*

Respondeo, duobus modis posse intelligi peccatum veniale dici in confessione sine vera attritione, vel proposito emendæ. Primo aperiendo confessori hunc ipsum defectum: & tunc nec ipse sacerdos debet absolvere à tali peccato, nec penitens, si prudens sit, illud dicere, ut ab eo absolvaatur, nec ut sit materia sacramenti, cum re vera esse non possit: potest tamen licite dici, vel ob humilitatem, vel ob consilium, vel ob excitationem ad veram penitentiam de tali peccato: hic vero modus ad rem presentem non pertinet. Alio ergo modo potest quis confiteri peccatum veniale sine dolore, vel proposito efficaci, simpliciter præbendo illud, sicut cætera, ut materiam absolutionis. Et tunc multi putant esse peccatum

tum mortale propter rationes factas, quæ non carent apparenti probabilitate: & inde plane fit, talem confessionem esse nullam, iuxta principium sæpe à nobis repetitum. Sed licet negari non possit, quin illud sit aliqua culpa: nihilominus non censeo esse mortalem, quia materia talis culpæ levis est. Quia defectus illius doloris, vel propositi per se & natura sua non est contrarius gratiæ, & iustificacionis, qui est primarius effectus huius sacramenti, per formam significatus, ut supra declaratum est: neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax veræ absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis. Ob hæc ergo causam censeo hoc non esse peccatum mortale: & consequenter assero, quando confessio est de solis venialibus peccatis, non esse de substantia eius, ut propositum, vel dolor efficax & absolutus sit universalis de omnibus peccatis. Probat, quia quando confessio est de solis venialibus, non est de necessitate eius, ut sit integra, propter aliud principium, quod unum veniale potest remitti sine alio: & quia peccatum veniale non est materia necessaria, ut supra diximus: ergo pari ratione quando confessio fit de multis venialibus, quod non sit integre dolorosa, seu ex vera penitentia, non erit contra valorem eius. Patet consequentia à paritate rationis, imo & à fortiori: nam, si peccatum tacitum non obstat veritati sacramenti, peccatum insufficienter dictum non etiam obstat.

De turbe venialium confessio valida, & informis.

ULTIMO circa hanc confessionem queri potest, an possit in ea accidere confessioem esse validam & informem. Videtur enim ex proxima resolutione sequi, hic non posse habere locum: quia supra diximus, solum posse esse confessionem informem ex defectu integritatis in dolore: sed hic defectus in dolore de peccatis venialibus, non impedit effectum gratiæ, ut per se notum est: ergo talis confessio sicut est valida, ita & est formata: niquam ergo poterit esse informis. Atque hæc ratio evidenter concludit quando persona penitentis supponitur esse in gratia. Potest autem aliquando contingere, ut aliquis habens peccatum mortale, licite de solis venialibus confiteatur, vel quia mortale non occurrit memoriæ absque culpa, vel quia, licet occurrat, non tamen potest illud dicere huic confessori sine gravissimo nocimento, & alterius copiam non habet. Rursus potest in eodem casu accidere, ut huiusmodi penitens non habeat veram attritionem de tali peccato mortali, etiam sine mortali culpa ex simili naturali obliuione, vel ignorantia inuincibili. In tali ergo casu confessio illa erit valida, & informis: valida quidem, quia est formaliter integra, & ex sufficienti dolore de venialibus, ut supponimus: informis vero quia sine attritione peccatum mortale remitti non potest; illo autem non remisso, nec venialia, quæ cum illo coniuncta erant, possunt remitti, nec gratia infundi. Secus vero esset, si penitens attritionem de illo peccato mortali habuisset: nam tunc saltem concomitanter remitteretur per absolutionem. Neque est inconueniens peccatum mortale concomitanter remitti cum venialibus, quia hæc tunc non remittuntur sine infusione gratiæ, quæ necessario excludit peccatum mortale. Atque in huiusmodi casu constat, quod supra tactum est, quamvis attritio de venialibus peccatis præcesserit, nihilominus illa non fuisse remissa, donec per absolutionem virtute clauium auferantur.

*Casus in
quo confessio
venialium
potest esse
valida, &
informis.*